



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Mariani Societatis Iesv

Nádasi, János

Romæ, 1658

Præfatio Ad Annales Marianos S.I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42840

1.8 PRÆFATIO

Et quid superbis , terra , & cinis ? An non hæc cælestis imago hominis , è puluere , id est ; è re minima , assurrexit ?

9 Et certè quod de Oratore futuro dicit Quintilianus , idem sibi prudens cultor Deiparæ , commutatis pauculis , applicabit : *Parua docemus , instituendum Oratorem (Deiparæ cultorem) professi : sed est sua etiam studijs (Marianæ pietatis) infantia : ut corporum mox etiam fortissimorum educatio à latte , cunisque initium ducit . &c.* Iam ante in procœmio dixerat : *Ad minora illa , sed quæ si negligas non sit maioribus locus , demittere me non recusabo .*

*Instit. l. 12
c. 1.*

10 Multifariam ostendit Deus , & Dei Mater , hæc etiam sibi esse in pretio : velleque se in obsequijs habere non solùm gigantes illos herœs ; verū & me , aliosque minorum gentium paruulos , ac velut mediaстinos . *Mos enim diuinæ misericordiæ est ,* inquit S. Ioan. Chrysost. *vt si nos tenuia quædam , & vilia obtulerimus , sed tamen obtulerimus ; multa liberalitate nos remuneret . Nolo ergo ego illa nihil iudicare , quæ tanti æstimat Deus . Sicut qui timet Deum , ita qui verè amat Matrem Dei , nihil negligit , licet id minimum videatur . ideoque minima videri ista non debent , si fiant honori & amori illius cui fecit magna qui potens est . Illius Annales domesticos hic exequimur . Nam quemadmodum apud S. Greg. Nazianenum , *Tempus Magistri vice hominibus esse omnes dictitant ; ita hæc veluti tempora Marianæ , seu annales Mariani poterunt nobis esse instar Magistri , per domestica documenta , & verbo & exemplo docentis quomodo enixè colenda sit illa quæ Regis sæculorum immortalis est Mater . Si maiora quæpiam , & ardua illam colendi exempla occurrant , ut dixi ; nec ibi despondendus est animus ,**

*b. 26. in
Gen. longè
post med*

Eccl. 7. 19

*ad Nicob.
p. 799.*

ve-

AD ANNALES MARIANOS S.I.

ad Nico- verūm illud laudati Gregorij Naz. cogitandum :
bulum p. Prudentis, & cordati viri est, magna mensura vitam
799. suam metiri: atque ad excellentium virorum imitationem
sese componere .

11 Aspergo autem probatis, & ex ipso quem
lando fonte haustis de Virgine Matre sententijs ea
quæ narro; ut varietas piè delectet .

Documenta ex ijs quos ad manum habui libris
petita vel eō anno colloco quo libri illi sunt editi,
vel eo quo eorum Autores decesserunt è vita .

12 Exempla etiam illi Anno addicuntur quo an-
no sunt gesta, vel quo die in ultimum obiit is de quo
illa narramus; Indice postea documentorum Elen-
chum ita daturo, vt & sribentium documenta, &
agentium exempla ferè omnia in certos Artium
Deiparæ colendæ titulos, (quemadmodum in Inci-
tamentis colendi B.V. fecimus) digerantur .

N.B. Omissa quadam in annis prioribus, post annum
1640. reperies à pag. 430. quò retuli omnia ea quæ alias
in Incitamentis dixi .

S. Bonaventura Psalmo 125. v.4.

Vernaculus Tuus sum ego :

minimus in familia tua .

Custodi me, Domina .

AN-